



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

14. De ritu consecrationis, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

ex uvis coalescit : sic per hoc Sacramentum effici-  
mur unus spiritus cum Christo, & inter nos.  
Unde & appellatur Communio : & quia panis Hinc di-  
non fit nisi granis commixtis, & vinum nisi citur  
pressis uvis & calcatis : ita oportet mortificare commu-  
in se inordinatos affectus, ut illam spiritus uni-  
tatem, & Sacramenti hujus virtutem, & fru-  
ctum participemus, & gustare possimus, quàm Ps. 33. 9]   
*suavis est Dominus.*

## MEDITATIO XIV.

*Ritus à Christo usurpatis in consecratio-  
ne, & exhibitione Corporis &  
Sanguinis sui.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**P**anem in manus accepit : poterat positum in  
mensa transmutare, sed in manus accepit, Cur in  
ut significaret, opus id esse divinæ potentiae, & manus  
divinæ manus : deinde opus esse maximæ libe-  
ralitatis. *Aperis tu manum tuam, & imple om-  
ne animal benedictionis.* Denique quod suo la-  
bore, & meritis nobis illum panem acquisivis-  
set, ita, ut nos labores manum ejus manduce-  
mus, *Ps. 144.  
16.*

### PUNCTUM II.

**L**evavit oculos in cœlum : ostendens hunc  
esse panem de cœlo verum, & corda illuc  
pura

pura cum fiducia & desiderio hujus cibi erigenda esse, sicut in Missa admonemur: *Sursum corda.*

*Gratias egit* Patri pro tanto dono per ipsum hominibus collato, easque tanto ardentiores, quam pro panibus egerat multiplicandis, quanto istud præstabat beneficium. Quas me agere convenit, cum de illo pane participo?

*Et Benedixit*: Benedicere Dei, & benefacere. Benedicendo igitur panem, eum transmutavit in corpus suum. O benedicte Domine! Benedic etiam mihi, & muta in virum alterum.

Benedictio  
Christi  
efficax.

Verba benedictionis fuerunt, cum dixit: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus*, nam dicendo, fecit, ut essent, quod dicebantur.

*Et fregit*: integrum in manus accepit & benedictum fregit. 1. ad commendandam charitatem inter nos, qui de uno pane edimus. 2. causa mysterij, ut intelligatur, quod diviso Sacramento, tantum manet sub fragmento, quantum toto tegitur. 3. docemur, hunc panem antequam edatur, accurata consideratione frangendum esse, meditando magno affectu singula, quæ in hoc Sacramento continentur, corpus, sanguinem, animam, divinitatem Christi, necnon & meritorum ejus, & satisfactionum infinitos thesau-

Fractio-  
nis my-  
steria.

- 1.
- 2.
- 3.

ros.

PUN-

PUNCTUM III.

**D**istributio Sacramenti. *Deditque discipulis suis, (ô beatum donum, & maximum) dicens: Accipite & comedite. Non exhibetur nobis adorandum tantum, sed edendum, atque in viscera recondendum. Non fuissent alioqui ausi tam divinum patrem edere. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed, quia jubes, edam, & sanabitur anima mea.*

*Ecce dedit.*  
*Matt. 8. 8.*

MEDITATIO XV.

*De potestate conficiendi Eucharistiam data tunc Apostolis.*

PUNCTUM PRIMUM.

**D**ata est potestas Apostolis conficiendi corpus & sanguinem Christi per ea verba, *hoc facite in meam commemorationem.* In quo elucet

1. *Charitas* eximia erga hominem, cui soli, non Angelis dedit potestatem supra corpus suum, ut homo non jam diminutus sit *paulò minùs ab Angelis*; sed suprâ illos exaltatus.
2. *Liberalitas*, qua sine ulla restrictione contulit hanc potestatem, non limitatam ad certum numerum personarum, neque ad qualitatem, puta ad sanctos tantum, neque ad locum, aut tempus, sed ubique & semper confici possit.
3. *Dignatio*, ac velut obedientia, & humilitas incredibilis, ut ad Sacerdotis ritè ordinati

*Tom. II. D vocem*

*Sacerdotalis potestas quanta.*  
*1.*  
*2.*  
*3. Sacerdo.*